



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **KONONGENSIS-MAMPONGANA*** QUIBUSDAM DISTRACTIS TERRITORIIS A DIOECESIBUS KUMASIENSI ET SUNYANIENSI, NOVA IN GANA CONSTITUITUR

DIOECESIS, NOMINE KONONGENSIS-MAMPONGANA Cum ad aeternam gregis salutem provehendam eiusque regimini facilius consulendum postulatum sit ab hac Apostolica Sede ut in Gana, quibusdam seiunctis territoriis a duabus circumscriptionibus ecclesiasticis, nova conderetur dioecesis, Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules Congregationi pro Gentium Evangelizatione praepositi, re mature perpensa auditisque quorum interest votis, admotis precibus libenter concedendum esse putaverunt. Nos igitur, Quibus supremum creditum est munus universae Ecclesiae moderandae, eiusdem Congregationis sententiam excipientes ratamque habentes, haec statuimus et decernimus. A dioecesi Kumasiensi distrahimus territorium septentrionale districtuum civilium qui vulgo appellantur Afigya-Sekyere, Asante-Akim North, Asante-Akim South, Ejisu-Juabeng, Ejura-Sekyedumasi, Kwabre, Sekyere East, Sekyere West, et etiam a dioecesi Sunyaniensi territorium distrahimus districtuum civilium vulgo Sene et Atebubu; ex iis omnibus novam condimus dioecesim *Konongensem-Mamponganam* appellandam. Statuimus insuper ut constituta dioecesis suffraganea sit Metropolitanae Ecclesiae Litoris Capitis atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione obnoxia. Huius conditae Ecclesiae sedem ponimus in urbe vulgo Mampong, templumque ibidem exstans, Deo in honorem Sancti Pauli dicatum, ad gradum et dignitatem Ecclesiae Cathedralis evehimus. Praecipimus deinde, ut Pastor constitutae communitatis ecclesialis in suo regimine validum recipiat adiutorium, ut ibidem Collegium Consultorum, ad normam iuris communis quam primum instituat. Cetera vero secundum leges canonicas temperentur. Haec omnia ad expedienda Venerabilem Fratrem Andream Dupuy, Archiepiscopum titulo Saelesiensis et Apostolicum in Gana Nuntium, legamus. Re tandem ad exitum perducta, documenta apparentur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione diligenter mittantur. Hanc denique Constitutionem Apostolicam ratam esse volumus sive nunc sive in posterum, contrariis rebus quibuslibet minime obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, die tertio mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo quinto, Pontificatus Nostri septimo decimo.*

ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO

Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Franciscus Chiaurri, *Protonot.*

Apost.

©Copyright - Libreria Editrice Vaticana